



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Reverendi Patris Martini Stredonij Soc: Jesu

Schwertfer, Wenzel

Pragæ, 1673

Caput XVIII. Cura maxima suis subjectis providendi de spiritualibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43132

cens: æquum videri, ut sibi hæc requies spiritûs, ante Requiem æternam concedatur. quo tempore ad pietatem transacto, instar minimi Tyronis Rectorem ejus Collegij, conscientiæ suæ Rationem redditurus adiit, & pro peste infectorum obsequio, adductis gravibus Rationibus, exponendum præsentavit. ità omnis ejus vita, de DEO, Societate nostra, deque proximo, perpetuum merendi studium fuit.

C A P V T XVIII.

Cura maxima suis subjectis providendi de spiritualibus.



Ræter suprâ dicta & posita, multum ad regiminis facilitatem & verò etiã felicitatem conducere curam quæ tribus constaret, arbitrabatur. in providendo corpori necessaria, in ordinando quæ spectant ad mores, & in procuranda inter sibi subjectos exacta mentis puritate. Hinc salvâ rerum corporalium sufficientiâ, spirituali pabulo largè pascebat, animabátque suos dictaminibus ac principijs spiritualibus illustrando, quâ viâ in spiritu juxta exigentiam vocationis, gradiendum esset. tempore præsertim recreationi & Colloquijs indulto; quod colloquij tempus

pus tum ad familiaritatem in vinculo mutuae charitatis contestandam concessum esse, arripique à perfectis agebat tum ut colloquijs suis liberalibus alios quidem illuminent, liberali vero inter colloquendum confidentiâ, celent conceptam de se opinionem, & fraternâ foris facundiâ, silentem intus sanctitatem obvelent.

Hos præterea radios à Divina luce inspergere solebat. Exempli gratiâ: DEUM esse in quovis etiam minimo & miserrimo Superiore aspiciendum, cui pareatur. Quomodo practicè omnia nostra & Instituti nostri munia ad Gloriam DEI majorem dirigenda. Nullam pestem majorem esse in Religione, quàm senum & Doctorum Virorum mala exempla, cum Ideas illos Juventuti repræsentare in vivendi modo, sanctè oporteat. Nullam virtutem, quanquam nec ætatem à gravibus tentationibus & periculis graviter labendi, fati tutam esse. Virtutem in Societate, primæ classis esse, ac Dominam; doctrinam verò secundæ classis, & ancillam. Nullam veram quietem in homine Societatis esse posse, nisi sit toto corde humilis & resignatus. Rem mirè pulchram in Societate suspici oportere: videlicet, tam varios Nostros, quoad nationes, ingenia & genios, concordet tamen & velut unius formæ. tam magnos & humiles, & absque numo pauperrimos.

110 VITÆ R. P. MARTINI STREDONII S. J.

Quantopere nos deceat internis actibus & victorijs compensare coram DEO, cùm in exterioribus quoad victum, vestitum, habitationem, supellectilem rerum usualium, tam commodè provisum habeamus. In quanto errore sint subditi & quàm injurijs Superioribus dum hos putant & dicunt politicos, difficiles, duros ac severos. Rusticum pudorem esse, qui despiciat, vetet, aut verecundetur invicem loqui & tractare spiritualia, nostros ægrotos consolari, hortari, pia inspirare, quasi superfluum nec necessarium foret, vel indecorum esset. Meditari ad æstum animi, affectuosè cum DEO agere, pias lacrymas eliquare, Nostris etiam competere. Quid sit practicè nos esse Jesuitas, JESU Socios & imitatores, duplici spiritu S. Ignatij Vitæ contemplativæ & activæ indutos. Quomodo alter alterum honore prævenire debeat, non, facta pro DEO alleviare, denigrare, ac deformare, omnes meliores se æstimare, magis idonea gloriæ Divinæ instrumenta revereri, & dulce cor fovere erga singulos, tanquam Mundi contemptores, DEI servos & filios. Quàm facilè de terreno & mundano pulvere Religiosorum corda soleant vel possint fordescere. Pulchrum esse in Societate, tot rerum mundi contemptores esse, licèt eximiè concionentur, converfentur, profiteantur. Qualiter multi erudiendi

C A P U T XVIII. III

erudiendi ad justitiam veram & non ad vanitatem.

Quomodo quisque seipsum custodire debeat in periculosis præsertim Missionibus, Villis, scholis, aliisque munijs, nè Divinæ Majestatis obliviscatur, rerumque æternarum ac Divinarum sive spiritualium, quæ in hujusmodi occasionibus perfectiùs & auctiùs sunt pertractandæ. nè se amittat alios quærens, nè similem secularibus in loquendo & agendo faciat, aut aliquid suo statu & gradu indignum committat. Quomodo zelus noster debeat esse ingeniosus, & excogitare industrias, omnes animas ducendias ad DEUM magis ac magis, perfectiùs ac perfectiùs, de virtute in virtutem, nullum statum omittendo, ex verecundia & metu. Profunditatis vitium, quo cellantur sua & aliena, valde periculosum esse. Vile vitium esse, censurare alios, cum graviores viri & in spiritu proveciores id nunquam faciant, sed imprudentes, immaturi DEO & Societati, & qui minimùm pro DEO fecerunt aut faciunt. Spiritum vitalem affiduè ab homine Societatis trahendum è cælo, per Meditationes, Reflexiones solidas, gratiam precum & internos frequentatos actus. Recurrendum esse specialiter homini Societatis, pro auxilio, consilio, solatio, ad Beatissimam DEI Matrem, sicut per illam confidentiùs ad JESUM, primi

112 VITÆ R. P. MARTINI STREDONII S. J.

primi JESU Socij Apostoli recurrebant. Virtutum facilè maximam esse : Vivere communiter, non eximendo se ab ullo quod communitas facit, & vivere in communitate sinè querela & singularitate. Gemitum Superiorum, quo subinde in causa subjectorum difficilium, coelum petunt, subditis non expedire, benedictionem eisdem retrahere. De spiritu Primorū Patrum unanimi, zeloso, humili, obedientiæ ac laboribus pleno, innovando in nobis. De felicitate perseverantium in DEI gratia & obsequio, & quibus ea gratia ordinariè conferatur. Mansuetudine nos superaturos omnes persecutiones & adversarios nostrorum, benedictiones hac viâ in nos derivandas, quæ alioquin ad adversarios destinatæ fuerunt. Non ægrè ferre vigilantiam & providentiam Superiorum, optare imò ut sibi non fidatur à Superioribus, ut tantò sollicitiores sint pro nobis. Abstinerere ab omnibus clancularijs negotiationibus & pecuniæ attactu, cum pauperes spiritu sedere soleant in pulchritudine pacis & à liberali Providentia DEI ità habeantur, ut non deficient omni bono. Occupanda ingenia Nostrorum esse, ad excogitandas industrias, quibus cultus DEI ubique & in proximis augeatur.

Et quia duobus Nostros posse (quanquam omnibus applicari potest) repentinè percelli ad-
verte-

12
CAPUT XVIII. IV 113

verterat: Timore alicujus ac Dolore, quos semper tranquillos cupiebat, Duodecim arma quædam præscripsit, quibus se adversus earundem Passionum insultus obarmare possit Christiana Philosophia. retundendum ergo Timorem & Dolorem, hisce XII. Axiomatis agebat.

I. Nihil rerum transeuntium amare intensius.
II. In malis non censere, quod nobis majoris boni est occasio.

III. Omne malum in hac vita, siue culpæ siue poenæ evitabile videri, neque semper evenire, quod aliquando terret aut minatur.

IV. Malum poenæ si decretorium sit ac inevitabile, non est accersendum timendo. satis erit, si id præsens supports sustinendo.

V. Idem malum magnum esse non posse. quod si magnum sit, diuturnum non futurum; parvum verò & breve, posse tolerari.

VI. Quæ mortalibus humana eveniunt, ab alijs tolerata sunt, & superata, cur nos eadem conditione nati ab ijs velimus esse immunes?

VII. Multum de sensu malorum detrahi, si animus ea negligens divertat ad cogitationem bonorum præteritorum aut futurorum.

VIII. Indulgentes siue Timori, siue Dolori, conditionem suam non faciunt meliorem, sed deteriorem.

IX. Qui præmeditando perspexit, & familiaria
P fibi

114 VITÆ R. P. MARTINI STREDONII S. J.

sibi reddidit ventura mala, & qui depulsa præterita meminit, sustinuit minus.

X. Jure suo erga Vernam utitur DEUS, cùm eum in delicijs non habet, sed exercet & indurat; quis ei contradicat?

XI. Sapientissimè textum vitæ humanæ ex missionibus Prosperitatum & adversitatum Divina Providentia elaborat, quis artificium ejus reprehendat?

XII. Quæ pater optimus, amantissimis filijs censuit utiliter applicanda, ea finè impietate revelli posse quispiam æstimabit?

Currentibus porrò stadium Religiosæ perfectionis, qualiter se animare, quid præoculis habere, quomodo reliquorum cursum inæqualem aspicere & judicare, quale denique in initio languoris, & ingerentis se cujusdam deficientiæ, antidotum Universale sumere deberent, ingeniosum & efficax Recipere spirituale præscripsit. Quia inquit, non finè perito aliquo Duce, cui explorata sint ea in quæ proceditur, nec finè filo gressus dirigente & aberrationes corrigente, incedendum est: aspiciate in autorem fidei & Consummatorem JESUM, qui cum numerosa multitudine sequentium se Sanctorum Antambululo noster humillimæ & mansvetissimæ actionis, sustententiæ autem patientissimæ ac constantissimæ vestigijs, viam hanc tritam & notabi-

tabi

C A P U T XVIII. 115

tabilem fuit, quomodóque illam ambulavit, ambulate. pro filo nobis funto: Divina præcepta, Confilia, Inspirationes, superiorumque monita & instructiones, quibus adhærentes non errabitis, nec hærebitis attendentes; sed & continuò usu sanctè agendi patiendique juxta horum ductum consequemini, ut & DEUS per vos honorificetur, & unusquisque vestrum sanctificetur.

Quodsi à vobis in hac via ambulantibus videantur alij, vel assumptis aquilæ pennis volantes, alij svaviter gratiâ DEI eos portante equitantes, currentes alij, fatìs lentè alij festinantes; Nemo hîc minor majori sortem suam invidet, suamque tenuitatem portet cum dolore; nemo inquam contemnat minores; aut arroganter ob suam felicitatem insolescat; sed æmulemini charismata meliora pro mensura gratiæ quisque sibi datæ, nec pigritiæ vestræ acetum affundat dentibus aut fumum oculis eorum, à quibus spectamini in via, vel de via expectamini. Si verò vobis accidant infirmitates, lassitudines, tædia, timores, dolores; cavete nè Providentiæ universæ gubernantis ductus & dispositiones agnoscere, venerari, eisque accommodari negligatis, aut pallio Divinæ Providentiæ contegi, & undiq; muniri desinatis, aut viatico Pancratico seu omniponte confectioe uti obliviscamini, cu-

P 2

jus

116 VITÆ R. P. MARTINI STREDONII S. J.

jus descriptio valde commendata & experientiâ approbata, hæc habetur:

RECIPE felicitatis æternæ clarificatam substantiam, Visione, apprehensione, fruitione DEI integratam.

Adde species pulchritudinum omnes, suavitatum omnes, satietatum ac securitatum omnes, Incorruptibilitatum & Claritatum omnes, amœnitatum & harmoniarum omnes, boni cogniti & incogniti omnes. Omnia magnitudine, pretio, pondere, duratione infinita.

Fiat compositio ex omnibus, & asservetur in recenti memoria, indeque de ea in quavis Viatoris alteratione assumatur quantumlibet. (plus utilius assumitur quàm minus) & attentâ ac seriâ consideratione masticeatur. Probatum est usu tali ejus plurimos calamitosissimos & afflictissimos, per aquas & ignes, tormenta & mortes, nec non mortibus acerbiores cruciatu jucundè & sinè mæroribus transiisse; & plurimos item ex adverso in via defecisse, quod per ignaviam & imprudentiam, usum remedij hujus neglexissent.

Ægris Nostris hæc instillanda esse præscribebat: aiebat causas ægritudinis diligenter investigandas esse. & in Juventute quidem, communiter mali causas esse posse, vel exhaustio- nem virium, vel aggravantem corporis pleni-
tudi-

tudinem. quarum illam, si causâssent nimij motus & labores, aut vigiliæ prolongatæ, aut nimia abstinencia; pro Remedio restaurationem virium fieri debere per quietem, cessationem, somni productionem, congruam alimentorum assumptionem. Alteram verò si produxissent vel diurnæ sessiones & otia, vel excernendorum intempestivæ retentiones, vel usus copiosioris alimenti: assumendam esse corporis (per ambulationem vel laborem convenientem) commotionem, aut dietæ & abstinentiæ, usque ad digestionem, usurpationem, aut certè gravantium usitatam & facilem egestionem. Si occultius aliquid & nocentius languori aut morbo putetur subesse, tum ad valetudinarium dirigendum ægrotum, sub cura Medicorum tantisper futurum, donec ei vel fanitas restituatur, vel aliter de eo Divina Providentia disponat. Sed ingressum valetudinarij non auspicandum, nisi depositis in lavaero poenitiæ nævis & maculis, etiam levissimis omnibus, atque sic purum ac immaculatum se illic sistere oportere. Constitutus ibi humillimè se offeret, sive ad flagella, ut hæc promeritus Reus, sive ad probationes & experimenta ut Christianæ patientiæ Discipulus, & Coronarum Cœlestium Candidatus.

Præterea legibus loci se omnino accommodabit, quæque Superior ac Medicus ordinaverit,

118 VITÆ R. P. MARTINI STREDONII S. J.

& Infirmorum Curator executus fuerit, univ-
sa venerabitur, probabit, acceptabit. Si quan-
do verò vel nauseaverit omnia, vel exotico appe-
titu concupiverit nocitura, conabitur amaros
& dulces calices exforbere, & mollitie omni
amandatâ, illecebras & cupedias sibi interdicare
Si medicamenta ad votum non relevarent pre-
furas laborantis, de Catholico oleo patientiæ
Christi, debere illis aliquid affundi. Si verò
morbus nimius plus extendi videretur, forti alli-
gaturâ longanimitatis, molestas opiniones com-
primendas esse. Decentiæ porro nunquam In-
firmus obliviscatur, quoad potest in verbis, si-
gnis, situ, motibus, necessarijsque operationi-
bus; nec publicis querelis, lacrymis, ejulatibus
indulgebit, nec corporis nudationes, extensio-
nes, contractiones, jactationes indecoras admit-
tet; ceteraq; omnia & agat & patiatur tanquam
constitutus coram castissimis, modestissimisque
spectatoribus oculis Angelorum.

Si desertus ab omnibus in solitudine cum
doloribus, sinè auxilio & solatio luctari cogetur:
Inclamet vicinum Dominum CRUCIFIXUM,
apud eumque liberaliter querelas omnes effun-
dat; de sui derelictione, deque singulis dolori-
bus à planta pedis usque ad verticem capitis se se
cruciantibus. Et nè varietate Consolatorum
careat aliquando, evocet etiam alios subinde.

v. g.

v. g. Noëmum ex arca toto in orbe solum cum pauculis conclusum ; Jobum ex sterquilinio. Nocte verò intempestâ maximè Tobiam senio- rem cæcum, vel Daniele ex lacu leonum. Si caleret nimiùm, Laurentium ex craticula ; si frigeret, Melithonem natu minimum ex 40. Martyribus in Armenia congelatum. Aut Franciscum Assisiatem sudores vendentem.

Si siccesceret, Basilium ex Cæsarea Cappa- dociæ, aut Bernardum ex Clara valle. si hume- sceret Jonam ex ventre Ceti, aut Paulum ex Melitensi naufragio ; si alijs modis torquebitur, vel aliunde alios, vel Timotheum Epheso, vel Româ Gregorium invitabit. Vix enim alibi in similibus, certiùs invenitur vel auxilium vel so- latium, quàm apud eos qui similia vel majora sunt perpeffi. Ubi convaluerit, non hæreat in Valetudinario propter delicias, aut horrorem re- sumendorum ciborum consuetorum, sed po- stulatâ missione & soterijs celebratis, in quibus pro sanitate reddita, DEO gratias rependit in or- dinem se reponet.

Nostrorum deniq; morbos spirituales, ad 4. præcipuè reduci posse fontes, si oriantur. *Primû* esse posse : apprehensiones fovere & suspiciones, de futuris contingentibus, ex minima occasione, & affligere se propter umbras. *Secundus* : factis superiorum affingere intentiones quaslibet, &
in

in caligine, tenere seriem consequentiarum, quæ carent fundamento. *Tertius* ex uno facto etiam inculpabili & excusabili, conficere universales propositiones, & ad criminationes planè posse descendere. *Quartus*. Non credere bonis consilijs; habere suspecta omnia, quòd excusetur alter, vana esse solatia & hujusmodi &c.

C A P U T XIX.

Qua ratione cum Difficilioribus suæ curæ subjectis egerit.

VT Difficilioribus careret, cavebat summè nè otiosos domi suæ, quantumvis debiles, vel ætate, fractiores haberet. Sicut verò debilibus, virium refectionem ad paternam charitatem suggererat, ità relictis otij cujusvis osor, prudenter occupationem inveniebat. Dicebat enim, otium omnem virtutem labefactare, cum semper in pejus pronus sit sensus, nisi à ratione exerceatur, & honestis curis occupetur. Et ideo vel coràm, vel per litteras aptam cuivis occupationem, scriptionem, compositionem, aut aliã actionem, nè talenta jacerent suffosa, destinabat; cum nihil optatiùs in hac vita accidere nobis possit, quàm rectè agere pro DEI gloria, & in DEI servitium totas quas habemus reliquas vi-
res